



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XIII. Brevis Dominicæ Orationis Expositio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

ſervili eſſe aliquod vitium, quod ſe tenet ex parte timentis, non timoris; nec latum unguem diſtant ab Auguſtino, præcipuiſque Scholæ Luminibus.

12. PROPOSITIO III. Præ cæteris laudandus eſt timor caſtus, quo timet anima ne à Deo deſeratur.

Probatur. De hoc enim timore legimus in Pſal. XVIII. 10. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.* Hunc Auguſtinus ſerm. 161. num. 9. ait eſſe timorem charitatis. Eundem Tract. 18. in Epift. Joannis n. 6. & in Pſal. 127. num. 8. comparat timori caſtæ uxoris timentis ne deſeratur à ſponſo. De ipſo timore proximo num. 9. ſic loquitur: *Si diceret Deus, Faciem meam nunquam videbis: ecce omni iſta terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluens te bona temporalia, non illa amittis, non illa deſeris; quid vis amplius? Flet quidem, & generet timor caſtus, & diceret, Imo tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor caſtus exclamaret de Pſalmo, & diceret; Deus*

virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam & ſalvi erimus. Timor caſtus exclamaret de Pſalmo, & diceret, Unum petii à Domino. Vide quomodo ardeat amor iſte caſtus, amor verus, amor ſincerus.

Si quæras quomodo timor permaneat in ſæculum ſæculi; Reſpondeo pellipaciſſimè, ut diximus, à charitate imperfectionem timoris; cumque timor reſpiciat aut poenam infligendam, aut patris offeſſam, aut majeſtatem cui reſverentia exhibenda eſt; ac timor ſervilis ſpectet duntaxat poenam, timor initialis poenam ſimul & offeſſam, & timor denique filialis offeſſam ac reverentiam: in Patria, ubi regnat perfectæ charitas, tollitur timor poenæ & offeſſæ, permanetque timor reverentiæ; ideoque in beatis neque eſt timor ſervilis, neque initialis, neque filialis in quantum metuit offeſſam; ſed tantum ut reverentiam Deo exhibendam præſcribit. Atque ita ſecundum præſtantiorem effectum timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.

13. Quomodo timor in ſæculum ſæculi permaneat.

C A P U T XIII.

Brevis Dominicæ Orationis Expoſitio.

S U M M A R I U M

1. Quid ſit oratio.
2. Cur in oratione Dominica præmittatur: *Pater noſter, qui es in calis.*

3. Petitio 1. Orationis Dominicæ.
4. uſque 9. Petitiones reliquæ.
10. Amen quid dicat.

EA ad ſpem pertinere, quæ in oratione Dominica continentur, recte aſſeruit S. Pater cap. 114. Ench. num. 30. De oratione ergo, quæ Chriſtianam ſpem fovet, atque exercet nonnulla dicam, præſertim de Oratione Dominica cæteris ob auctoritatem Inſtitutoris, ob petitionum ordinem, æquitatem ac plenitudinem, & ob gravitatem brevitateque verborum præferenda. Ac de oratione in genere plura Myſtici. Eam definiunt aut cum Damasceno lib. 111. de Fide Orthod. cap. 24. *Oratio eſt aſcenſio mentis ad Deum;* aut cum eodem Dam. ibidem; & cum D. Th. 2. 2. q. 83. art. 1. *Oratio eſt decentium à Deo petitio;* aut cum Auguſtino in Pſ. 85. *Oratio eſt locutio hominis ad Deum.* Petuntur vero quæ decet, dum ſervatur ordo deſiderii & amoris, & animus temporalibus æterna præponit; ut idem Auguſtinus docet Epift. 130. ad Probam num. 14. Hunc ordinem ipſa Dominica Oratione tenet, atque commonſtrat. Eapropter etiam

R. P. Eerti Theol. Tom. IV.

ſine lingua quis orat, dum recte diligit. Demonſtrat orandi neceſſitatem Divinum præceptum, noſtra à Deo dependentia, & divinarum gratiarum, maxime finalis perfeverantiæ libera Dei collatio. Videatur S. Pater de Peccatorum meritis lib. 11. cap. 4. De Corrept. & Grat. cap. 3. num. 5. Serm. 164. num. 12. Excitat in orantibus fiduciam ac ſpem quod Dei miſericordia orantes prævenit, quod plura non rogatus donavit, vitam, rationalem animam, redemptionem, baptiſmum, filiorum adoptionem; quod Veritas dixit Joannis xvi. 24. *Petite, & accipietis;* quod denique ipſe Chriſtus ſit hominum apud Patrem Mediator, & Patris apud homines fidejuſſor. At de his plura agentes de Myſtica Theologia. Itaque nos brevi Orationem Dominicam explanabimus, ut fecimus de Symbolo ſpectante ad Fidem pag. 237. & de præceptis Decalogi pertinentibus ad Charitatem pag. 39. ut ſpem firmam fidelium anchoram orantes exerceamus.

Ss

Quæ

1. Quid ſit oratio.

Quæ subijcimus deprompta sunt ex Cypriano Tract. de Orat. Dom. Aug. citata Epist. at Probam, de Dono Persev. & libro 2. serm. Dom. in Monte, ex Commentariis in Matth. Lyrani, Estii, & Menochii, ex Venantio Fortunato in Expositione hujusmet Orat. & ex duobus illustribus Augustinianis Scriptoribus Augustino Triumpho, & Angelo Rocca, ex lib. 1. Martene de Antiq. Ritib. cap. 1. art. 12. & cap. IV. art. 11. Hi omnes Exegesis nostram collustrabunt.

2.
Cur in oratione Dominica præmittatur Pater noster qui es in cælis.

Præmittitur in hac Oratione præfatiuncula, *Pater noster, qui es in cælis*. Aug. de serm. Domini in M. lib. 2. num. 15. docet usurpari *Patris* nomen ad benevolentiam conciliandam, & n. 16. ad excitandam charitatem. Apud Martenem in Expos. antiqui Missal. Gallic. dicitur vox plena libertatis, & plena fiducia: Lyranus id præmitti docet ob creationem, & gratiam adoptionis. Addit Augustinus Triumphus titulum gubernationis spectantis ad Patremfamilias. Estius notat quoque legis gratiam; quod veteres Patriarchæ Deum orantes minime uterentur Patris appellatione. Idem Angelus Rocca, animadvertens commendari his verbis legem amoris. Pronomen *noster* Augustinus ibidem positum declarat, ut nos fratres esse cognoscamus: ideoque nullus hac oratione orat pro se tantum, ut animadvertit Venantius Fortunatus. Dicitur *Qui es in cælis*: id est, juxta Augustinum ibi. n. 17. in sanctis & iustis: non enim spatio locorum continetur Deus. Lyranus putat cælos connumerari, quia ibidem Sanctos glorificat, tametsi ubique est per essentiam, præsentiam, potentiam. *Celi* dicuntur plurali numero, quoniam non habent in Hebraica lingua singulare, inquit Estius.

I. PETITIO.

3.
Petitio 1.
Orationis
Dominicæ.

Omnium quæ petuntur primum est, *Sanctificetur nomen tuum*. Sic petitur, ut Dei nomen sanctum habeatur ab omnibus, ait Augustinus eodem lib. 2. num. 19. ut nomen ejus sanctificetur in nobis, addit ex Cypriano de Dono Persev. cap. 2. num. 4. ut benedicatur incessanter omnium linguis, & universis in locis, inquit Venantius: ut sanctificetur in nobis nostro actu, ait Expositio Anonymi ante annos nongentos apud Martenem: ut sanctitas ejus eluceat in creaturis, exponit Lyranus: ut longe lateque fama ejus pervadat,

cique omnes obtemperent, explicat Estius. *Sanctificetur* dictum est, non *manifestetur*; quoniam Dei noticia omnibus naturaliter indita est, inquit Augustinus Triumphus. Oratio autem contestatio est gratiæ, ait S. Pater de Perfect. justit. cap. XIX. num. 40.

II. PETITIO.

Sequitur, *Adveniat regnum tuum*: 4. quibus verbis petimus primo, ut Dei regnum per doctrinæ propagationem manifestetur hominibus, ait Aug. de serm. Dom. num. 20. deinde ut perveniat ad nos beatitudo Sanctis omnibus præparata, inquit Cyprianus, & idem Augustinus de Dono Persev. num. 5. tum ut adveniat Christus Dominus universos judicaturus, ait Venantius; id tamen ratione beatitudinis, non supplicii; quoniam istud non spei objectum est, sed timoris, ut animadvertit Aug. Triumphus. Amplissima est petitio, at non præsumptuosa nimis, quia regnum illud nobis paratum est à constitutione mundi, ut habetur in Evangelio, & Christi sanguine ac passione acquisitum est, inquit vetus interpres apud Martenem. Humilitatis nostræ argumentum est, quod petimus ut prius ad nos veniat, quia viribus nostris assequi illud non possumus; ita Lyranus. Estius causam affert, cur in hac, & in præcedenti petitione non apponitur *nobis*; quia nempe oramus ut perveniat etiam ad alios.

III. PETITIO.

Tertia petitio est, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*. Ad Divina præcepta refertur ab Augustino, maxime ad charitatem, per quam Angeli in cælis Deo adhærent: de Sermon. Dom. num. 21. addit num. 22. *sicut in iustis, ita etiam in peccatoribus*: & num. 24. *sicut in Domino, ita & in Ecclesia*. Similia Triumphus cæli nomine intelligens Christum, Angelos, iustos. Multa fiunt in terra pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro desiderio carnis, inquit antiqua apud Martenem Expositio. At in cælo nil fit, nisi ob Dei gloriam. Commendatur etiam hac petitione gratiæ necessitas apud August. de Dono Persev. num. 6. nam idem est *Fiat voluntas tua*, ac, *Fac me facere voluntatem tuam*, & implere præcepta. Similia Venantius Fortunatus. Ideo Pelagius, inquit Estius, hanc petitionem derisit.

IV. PETITIO.

IV. PETITIO.

6. Proxima eſt petitio quarta, *Panem*
 petitio 4. *noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Ha-
 bent Codices plurimi, *ſuperſubſtantia-*
lem, ex Græco ἐπιούσιον. At hoc vo-
 cabulum ſignificat etiam panem *crasti-*
num; id eſt, neceſſarium pro tempo-
 re, quod imminet, alimentum, & idem
 demonſtrat vocabulum Πῶς, in Evan-
 gelio Nazarenorum; necnon panem
advententem, apud Ambroſium lib. v.
 de Sacram. cap. 4. Auguſtinus de Serm.
 Dom. num. 27. interpretatur panem
 neceſſarium corpori, viſibile Sacramen-
 tum, & inviſibile verbum Dei. Cy-
 prianus præſertim Euchariftiam; &
 hanc ſolam Expoſitio Miſſalis Gallicani.
 Græcorum ἄρτος etiam edulium ſigni-
 ficat, Tob. 1. 10. Haud male Trinus
 interpretatur *panem*, cibum frugalem
 vulgatum. Superflua ergo petenda non
 ſunt. Triumphus obſervat hæc ad cul-
 tum corporis pertinentia peti poſt ſpi-
 ritualia bona; temporalia enim nonniſi
 propter beatitudinem ſunt experenda.
 Idem docet in Ench. cap. 115. S. Pater.
 Ea verba *Da nobis* commonſtrant Dei
 liberalitatem, *qui dat omnibus affluen-*
ter; ait Jacobus cap. 1. 5. Plura in hæc
 Angelus Rocca. *Hodie* nimiam ſolici-
 tudinem damnat: nam idem eſt, ac *in*
hunc diem: eſt enim apud Lucam, cap.
 xi. 3. καὶ ἡμεῖς. Demonſtrat etiam
 preces quotidie repetendas.

V. PETITIO.

7. Quinta petitio: *Dimitte nobis debita*
 petitio 5. *noſtra, ſicut & nos dimittimus debito-*
ribus noſtris. Omnes *debita* interpre-
 tantur peccata, ob quæ poenas debe-
 mus: unde Lucas poſuit ἀφαιρέσεις. Mo-
 nemur peccatores nos eſſe, dum pro pec-
 catis orare compellimur, inquit poſt Cy-
 prianum S. P. Auguſtinus de Dono Per-
 ſev. num. 8. Quæ ſequuntur demonſtrant
 & nos veniam impertiri iis, qui in nos
 deliquerunt, juxta præceptum Domini
 paulo infra ab Evangelifta repetitum
 cap. vi. num. 14. & olim ab Eccleſ.
 xxviii. 2. Hanc petitionem etiam juſti
 facere tenentur, cum in peccata ſal-
 tem venialia frequenter labantur. De
 his permulta prompta ex Aug. diximus
 lib. xviii. cap. 6. Quid vero de Chri-
 ſto? Talia orare poterat pro Eccleſia,
 membrisque ſuis. Etiam Virgo, quam
 ſine labe conceptam tenet pietas fide-
 lium, dicenda eſt hæc verba ſæpenu-
 mero protuliſſe propter gratiarum actio-
 nem, propter aliorum abſolutionem,
 R. P. Berti Theol. Tom. IV.

propter Filii recordationem. Ita Au-
 guſtinus Triumphus.

VI. PETITIO.

Post hæc habetur, *Et ne nos inducas*
 8. *in tentationem*. Quamvis Deus dica-
 petitio 6. tur *tentare* homines, in quantum ten-
 tatio nihil aliud eſt, quam ſumptum
 de illorum obedientia experimentum,
 quo ſenſu *tentavit Abraham*, Gen. xxi.
 1. repugnat tamen Divinæ ſanctitati
 tentare, in quantum tentatio eſt ad ma-
 la culpæ incitamentum. *Deus enim*
intentator malorum eſt, inquit Jaco-
 bus 1. 13. Facere tamen dicitur Deus
 quæ occulto judicio permittit: ut Exo-
 di vii. 3. & ad Rom. 1. 24. Orta eſt
 hæc phraſis ex proprietate verborum
 hebraicorum in conſtructione *Hiphil*.
 Itaque idem valet, *Ne inducas*, & *Ne*
patiaris induci. Ita legit Cyprianus.
 In tentationem induci eſt ita illecebris
 involvi, & periculis ſubjici, ut non ex-
 tricemur. Non tentationes refutamus,
 ſed ne ſuccumbamus enixe petimus.
 ut recte Eſtius; aut ne contumaciter
 euntes ad tentationis laqueos Deus gra-
 tia ſua derelinquat, ut Auctor peran-
 tiquæ Expoſitionis apud Martenem.

VII. PETITIO.

Ultima petitio, *Sed libera nos à malo*.
 9. Videtur membrum priori oppoſitum,
 petitio 7. & ſignificare, *ſed eripe nos à tentatore*.
 Sane Lucas id non appoſuit, nec ex-
 plicavit Venantius. Extat & in Græco
 ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, à maligno; ſcilicet, à
 pravitate auctore, ut legitur in Miſſali
 Gallicano. Expreſſius vetuſtior Inter-
 pres, *Hoc eſt à Diabolo, qui totius ma-*
li auctor eſt, & origo. Conſulas eru-
 ditum Martenem. Non diſſentit Cy-
 prianus: unde Eſtius putat hanc, &
 ſuperiorem petitionem non eſſe diſtin-
 guendas. At Auguſtinus, quem ſe-
 quuntur recentiores Catechiſtæ, utram-
 que diſtinguit, quia non ſolum oran-
 dum eſt ne inducamur in malum, quod
 ſexto loco petitur, ſed etiam ut libere-
 mur ab illo, quod jam patimur. Vide
 lib. 2. de Serm. D. in Monte num. 35.
 Illuſtrat opinionem S. Patris Auguſtinus
 Triumphus: eandemque confirmat con-
 veniens petitionum numerus: de quo
 idem S. Pater cit. libro de Serm. Domini
 num. 36. S. Thomas. 2. 2. q. 83. art. 9.
 & Angelus Rocca Tom. 2. pag. 458.
 Nil in oppoſitum probat Græca lectio
 ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, à malo. Derivari enim
 poteſt à neutro τὸ πονηρὸν, *malum*.
 Hanc

Hanc petitionem haberi in Græcis Lucæ codicibus affirmat pag. 419. laudatus Ang. Rocca : cui tamen non subscribo ; nam desideratur in Græcis Oxoniensi, & Velefiano, in editis anno 1628. Parisiis, & in Bibliis Complutensibus : in Polyglottis autem Regiis, & Waltonianis appositis notis dignoscitur studio intrusa. Quare emendatissima est hoc in loco Vulgata ; licet in quinque petitionibus Lucæ septem Matthæi contineantur, sicut in quatuor illius Beatitudinibus octo istius. Addunt Græci clausulam, sed cum orationi Dominicæ, tum Angelicæ salutationi superadditam : pietamen ; nam appositam Dominicæ Orationi approbat, explicatque Chrysostomus pag. Edit. Commel. 201. Lege & Exposit. Chromatii Tom. v. Bibl. PP. pag. 987. Hæc de Orat. Dominica, quam Iuvenus Presbyter in Evang. Hist. his carminibus complexus est :

*Sydereo Genitor residens in vertice
cæli ;*

Nominis, oramus, veneratio sanctificetur

In nobis, Pater alte, tui : tranquillaque mundo

*Adventet, regnique tui lux ampla
patescat.*

*Sic celo, ut terris fiat tua clara
voluntas.*

*Vitalisque hodie sancti substantia
panis*

Proveniat nobis. Tua mox largitio solvat

*Innumera indulgens erroris debita
prævi.*

*Et nos baudaliter concedere sænova
nostris.*

*Tetri sæva procul tentatio demonis
absit ;*

Eque malis tua nos in lucem dextera tollat.

Amen dictis succinit, petita approbat, atque ut fiant postulat. Hebraica vox, *אמן*, quam Græci reddiderunt *ὤν*, *professo*, aut *ὑπόμνημα*, *fiat* : Latini, *quæso*, vel *utinam*. Ex prima Pauli ad Corinthios cap. xiv. 16. liquet idiotas ab Ecclesiæ incunabulis respondisse *Amen* Sacerdotum benedictionibus, & orationibus : quod etiamnum servat fidelium consuetudo.

10.
Amen quid
dicat.

C A P U T XIV.

De Charitate, & dilectione Dei.

S U M M A R I U M.

1. In oratione Dominica fides, spes, & charitas exercentur.
2. Charitas significat gratiam, benevolentiam, amicitiam.
3. Charitas alia habitualis, alia actualis.
4. Juxta Durandum benevolentia inter Deum & hominem per Charitatem non est amicitia.
5. Statuitur, hanc benevolentiam esse amicitiam sed per aliam amicitiam Idem.
6. Inter Deum & hominem justum datur amicitia aliis longe præstantior.
7. Objectionibus satisficit.
8. De Charitate actuali, quid sit, & quomodo justificet.

1.
In oratione
Dominica
spes, &
Charitas
exercentur.

AD orationem Dominus exhortans Lucæ xi. 11. ait: *Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum: nunquid porriget illi scorpionem?* Opponit panem lapidi, piscem serpenti, ovum scorpionem: quoniam in lapide dura corda quæ respuunt charitatem, & in pane charitas ipsa significatur: in serpente qui Evæ venenosa fraude persuasit ne Deo crederetur, infidelitas hæresumque tergiversatio; & in pisce propter aquam baptismi fides, quæ in hujus sæculi fluctibus integra est: in scorpione nunquam se in anteriora extendenti, & cui consuetum

est retro respicere amor temporalium bonorum: atque in ovo, in quo vita pulli expectatur, spes futurorum. Ita oratione Dominica fides, spes, & charitas exercentur. Legite Augustini Epistolam 121. nunc 230. num. 16. & 18. Congruum est ergo, ut post fidem atque spem, charitatem omnium virtutum potissimam, excellentissimamque explicemus.

Charitatis vocabulum significat *gratiam, benevolentiam, amicitiam*: & accipitur semper in bonam partem, secus ac *amor*, & *cupiditas*, quæ interdum usurpantur ad significandum pravum animi affectum; & *cupiditas* maxime. Proprie etiam

2.
Charitas
significat
gratiam, benevolentiam, amicitiam.